



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

8. Junij. 6. Idus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295



8. Junij. 6. Idus.

Floruit
anno
1153.

Ber-
nardū
videt,
christi
ample-
xibus
inhæ-
rentem:

Et in
choro,
licet
absen-
tem.

B MEDARDE, gemina sanctissima familiaritate, cum DEO, & melifluo BERNARDO felicissime; per quam ad intima ejusdem pijsimi Parentis arcana penetrâsti. Cū enim amoroso amplexu à Christo Cruci affixo constringeretur, te solum spectatorem, utique tam amantis quàm amati voluntas admisit. Eundem præterea videbas sub vigiliarum nocturnarum cantu circumeuntem per chorum, & dulcissimâ præsentia suâ psallentes ad alacritatem devotionis pro more animantem. Audiens autem postera die conquerentem, quòd corporea detentus infirmitate, choro interesse non valuerit, fatentem tamen, se spiritu evolâsse, quòd corpori non licuerit: meritò admiratus es mirabilem DEUM in sancto suo, utpote in cujus potestate sit, corporis absentiam spiritu, carnis speciem induere jussu, supplere. Ab eodem denique ad Abbatiam de Moris avocatus es: sed brevì familiaritatem, nunquam ultrà dissociandam, in cælo renovaturus. *O te ex amicitia tam sacra beatum! Et me viceversa infortunatum,*

qui

qui suavissimè ad hujus amoris fœdera u-
 trimque invitatus, inire tamen detestabile
 pactum cum inferno, id est peccato, non e-
 rubui. Verùm sicuti Divina misericordia,
 & bonitas Bernardi inexhausta est: ita
 spero, me tua intercessione in utriusq; gra-
 tiam reducendum.

Fuga
 peccati.

B. JOANNE S: qui post sanctam mo-
 nasterij Fontanensis in Anglia guber-
 nationem, ad Episcopatum Eliensem
 evectus, inter gravissima regni nego-
 tia sic agebas, ut uni tibi vacare vide-
 reris: exteriore habitu, & actionum
 modestiâ simplex, sed in disceptandis
 controversijs sagacissimus. Rimare, & Cor
 scrutare cor meum: si quid in illo insince-
 rum, non simplex & rectum inveneris, sim-
 protinus exturba. Dæmonis, non hominis,
 lingua est, quæ à corde discordat.

S. BERNARDUS, ser. 82. in Cant.

Quàm incongruè simplicitati dupli-
 citas admiscetur! quàm indignè tali
 fundamento talis structura commit-
 titur! Hujusmodi versutiam sibi ser-
 pens induerat; cum se, ut deciperet,
 consiliarium exhibebat, simu-
 labat amicum.

Dupli-
 citatis
 inven-
 tor dia-
 bolus.



T 3

9. Junij.